Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36553
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

sed prophetia predicentis domini, quia futurum erat ut apostoli obliti gratiae domini et legis eius
assumerent gladium. Quod autem uidetur quasi imperatiuo modo dici pro positiuo
hec uerba figura in scripturis propheticis satis frequenter inuenitur. Sicut est illud:
fiant filii eius orfani. et diabolus stet a dextris eius. et multa alia similia.

CLXXIII. QUID EST PANEM substantiuum da nobis hodie. quod in oratione Interrogatio
CUM OPERANTES MANIBUS Responsio dominica iubemur dicere. Nos
memores sumus domini dicentis: Nolite solliciti esse animae uestrae quid man
ducetis aut quid bibatis. et apostoli precipientis: operamini ut habeatis
unde prestare possitis necessitatem patienti. id est cum non ad proprios usus. sed
pro mandato domini operamur. quoniam dignus est operarius mercede sua. tunc sub
stantiuum panem id est qui uitae cottidianae substantiae nostrae confert a domino poscimus.
et non nobis ipsis presumimus. sed ut necessitati in quantum sufficiat satisfaciat.
et cognoscamus eum qui sufficientiam prestat. Interrogatio

CLXXIIII. SI OMNI VOLENTE accedere ad sorores oportet indulgere. an certis quibusque
Si omni volenti accedere ad sorores debet indulgere
temporibus et personis. uel quomodo uidendae sunt sorores. Responsio
DE HIS SUPERIUS IAM sufficienter diximus. quia nec uir ad uirum accedere ut
Nota
cumque sine causa ex arbitrio suo potestatem habet. sed cum omni obseruatione
probante eo qui prepositus est. id est ut uel prosit quis ei quem uidet uel proficiat ex eo. quanto
magis erga mulieres id obseruari conuenit maiori cautela. Si quis ergo me
minit domini dicentis. quia de omni sermone ocioso reddetis rationem in die
iudicii. timebit in omni negotio hanc sententiam. Accipiendum est enim
et secundum apostolum dicentem. siue manducabitis. siue bibetis. siue aliquid facietis. omnia
cum gloria dei facite. Et iterum: omnia ad edificationem fiant. Nichil ergo uel
otiose uel sine utilitate agendum est. sed certus quis et certo tempore et
certo in loco et certis personis uel apparere uel loqui debet. ut exclu
datur omnis nefanda suspicio et seruemus sine offensione esse apud omnes.
et ad edificationem fidei unicuique apparere. Sed certe solum ad solam
suam accedere nulla religionis ratio permittit. Melius enim est duo quam
unus. simul enim fidelius est et tutius res geritur. Ue enim uni. quia si cecide
rit non est alius qui erigat eum. Interrogatio

CLXXV. SI QUIS HABET ALIQUOD uitium quod corrigere non potest. et frequenter
notatus in peius proficit. si expedit illum intromitti. Responsio
ET DE HOC ALIBI IAM DIXIMUS. quia oportet peccantes corripere pacienter